



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXXXII. De ministro huius Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Peti verò potest, num sumpserit se sacramentaliter tantum, an verò etiam spiritualiter? sed quaestio est magnà ex parte de nomine. constat Christum per hanc sumpcionem nullum recepisse habitus gratiae augmentum, sicut recipiunt ij, qui dignè ad hoc Sacramentum accedunt, & eo sensu non posse dici spiritualiter recepisse; quia tamen sumpsit cum spirituali suauitate & dulcedine, dici potest sumpsisse spiritualiter & sacramentaliter; vt docet D. Th. responsione ad 3.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus dederit Iudae corpus suum?

AFFIRMAT, quod tenent communiter Doctores & Scripturæ interpretes, asseruntque varij Patres. author sermonis de cena Domini apud Cyprianum dicens Iudam sacrum cibum mittere perdidit tetigisse, & ore percepisse. Chrysost. homilia 82. in Matth. in illud: *sero autem facto*, homilia 83. & clarissimè homilia de prodicione Iudae. Hieron. in caput 14. Marci exponens illud: *et biberunt ex eo omnes*, Aug. tum plurimis alijs locis, tum tract. 10. in Ioan. & 62. Leo serm. 3. de passione, & alij. Docet autem D. Th. Christum id fecisse, tum vt suo exmplo doceret ministros huius Sacramenti non arcere ab hoc Sacramento occultos peccatores cum aliquà eorū infamiā, tum, vt Iudam hac ratione emolliret. videri potest Chrysost. hom. 83. citatā.

Contrarium sentit Hilarius citatus à D. Th. can. 30. in Matth. qui censet Iudam ne quidem cenae Paschali interfuisse, cui suffragantur quidam alij, pro quorum sententiā potest obijci, quòd Iudas statim post acceptam buccellam exiuit, vt patet ex cap. 13. Ioannis, Christus autem videatur buccellam porrexisse ante institutionem huius Sacramenti.

Resp. duplicem esse hac de re sententiam. Aug. tract. 62. citato & quidam alij censent buccellam fuisse traditam Iudae post sumpcionem Eucharistiae, iuxta quam sententiam nulla est difficultas. Alij verò existimant datam fuisse ante institutionem huius Sacramenti, S. Leo serm. 3. citato his verbis: *illa saltem te à praecepto tuo Sacramenta reuocassent, quae in Paschali cena iam de perditione tua signo diuina scientia detectus acceperas*, signum autem hoc fuit porrectio buccellae, & videntur fauere Matth. cap. 26. & Marcus cap. 14. iuxta quos Iudas videtur buccellam accepisse ante institutionem Eucharistiae, nimirum in cena legali. secundum illam sententiam difficultas est, quomodo hoc Sacramentum receperit, cum secundum Ioannem acceptā buccellā continuò exiuerit?

Dici tamen potest Iudam non recessisse, nullā interpositā morulā, sed cum post buccellam acceptam datū ei fuisset corpus Christi, & dictum quod *faci, fac citius*, hoc enim audito, statim discessit. Dicit verò Ioannes: *cum ergo accepisset buccellam, exiuit continuo*, vt indicaret causam, propter quam exiuit, nimirum quòd post acceptam buccellam Satanas in eum introierit & fuerit in malo obstinatus, atque ad facinus patrandum à demone possessus. atque ita statim exiuit sumpta occasione ex illis verbis: *quod faci, fac citius*. vtrique responsio est probabilis, quamuis multi in priorem videantur consentire, iuxta quam dicendum Matth. & Marcus fuisse locutos per anticipationem, Lucam verò seruasse ordinem, cum post absolutum Eucharistiae myste-

rium dicit: *verumtamen ecce manus tradentis me cum est in mensa*.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus sumpserit, & discipulis dederit corpus suum impassibile?

RESPONDET dedisse passibile, modo tamen impassibili; nam, vt in superioribus dictum est, corpus Christi in hoc Sacramento existit in puncto, & proinde prout existit in hoc Sacramento non potest pati ab agente naturali. videri possunt dicta quaest. 76. art. 6. dub. 2.

Resp. neg.

ARTICVLVS IV.

Vtrum si hoc Sacramentum tempore mortis Christi fuisset seruatum, vel consecratum, ibi moreretur?

RESPONDET quòd fuisset mortuum, quòd patet ex dictis q. 76. art. 2. dub. 2. cum enim anima sit tantum per concomitantiam in hoc Sacramento propter connexionem, quā partes in statu naturali inter se copulantur, eo autem tempore corpus in statu naturali non fuisset informatum animā, sequitur eo tempore non futurum fuisse informatum animā in hoc Sacramento, & proinde si tunc facta fuisset consecratio, ponendum Christi corpus mortuum, & si hostia antè cōsecrata manifestet in eo triduo consecrata, corpus eo tempore futurum fuisse sine animā.

Resp.

Nec obstat quòd non fuisset vilo modo passum ab agente naturali, quia vt corpus quod prius erat viuum, sit mortuum, non requiritur vt patiatur à causā naturali.

QUESTIO LXXXII.

De ministro huius Sacramenti.

ARTICVLVS I.

Vtrum consecratio huius Sacramenti sit propria sacerdotis?



AFFIRMAT.

Aduerte conclusionem D. Th. ante tempora Wicleffii fuisse in Ecclesia indubitatam; ille verò, vt refert Waldensis tomo 2. cap. 28. cepit dubitare; nam quamuis conferret hoc officium decere sacerdotes sanctos, nihilominus existimauit posse etiam conuenire laicis nō ordinatis. Lutherus autem absolute censuit quemlibet Christianum habere potestatem consecrandi, immò Sacramentum futurum ratum etiam si à diabolo conficiatur. censuit tamen extra tempus necessitatis nullum posse hoc officium assumere, nisi legitime vocatum, idque ad vitandam confusionem. Caluinus ita requirit legitimum ministrum, vt Sacramentum sit futurum irritum, nisi à tali conficiatur. videri possunt apud Bell. lib. 4. de Eucharistia cap. 16.

Resp. affir.

Wicleffii et

tor,

Et Lutheri.

Verum conclusio D. Th. quòd scilicet solus sacerdos possit valide hoc Sacramentum conficere, D. Th. de fide, definita in Concil. Lateranensi, & referatur cap. firmiter §. una verò, de summā Trinitate,

Conclusio

D. Th. de

fide.

Cap. Firmiter.

formam finiat ante Episcopum, nihilominus non consecrabit ante illum, quia eius intentio refertur ad instans, quo Episcopus finit verba consecrationis, ita sentit Innoc. 3. lib. 4. de altaris mysterio cap. 25. quem sequitur D. Th. hic in corpore, & quidam alij, sed id nullo modo videtur probabile: nam prolatam formam cum intentione consecrandi, ipsius effectus non potest suspendi, sed necessario ponitur in instanti terminatio formae, siue illud sit intrinsecum siue extrinsecum, de quo iam non est quaestio, igitur nouus sacerdos habens absolutam intentionem consecrandi, non potest suspendere positionem corporis Christi sub speciebus, donec Episcopus formam finiuerit.

Confr. 1. supposita intentione consecrandi, forma per modum naturae necessario operatur suum effectum, ergo in instanti sui terminatio, ergo non potest impediri, vel suspendi per intentionem sacerdotis, vel etiam Ecclesiae, ut corpus Christi deum ponatur, quando Episcopus formam consecrationis absoluit.

Confr. 2. verba consecrationis id requirunt ad sui veritatem, ut nimirum in fine orationis ponatur Christi corpus sub speciebus.

Dicendum ergo est cum alijs quod si nouus sacerdos proferat verba cum intentione consecrandi, eaque finiat ante Episcopum, Episcopus non sit consecraturus, atque adeo ad vitandum hoc incommodum eum debere se gerere vno ex modis iam relatis, videri potest Pontificale Romanum, ubi habetur, quod verba consecrationis dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem: quia loquendi forma satis datur intelligi consecrationem perfici per eum, qui primus verba absoluit, & ex intentione Ecclesiae verba non solum proferri materialiter, sed etiam formaliter, & significatiue.

Nec refert quod in antiquo Ponticali de recenter ordinatis dicatur: *dicant omnia, quae sunt in Missali, sicut si celebrarent*, quia particula *sicut*, non denotat recenter ordinatos non proferre formam significatiue, sed designat, quod ita se gerant, ac si soli celebrarent.

Aduerte episcopum recenter ordinatum similiter proferre verba consecrationis super eadem hostiam cum ordinante, & ut satis patet ex Romano Ponticali, intendere consecrare, quia cocelebrat, & debere ita verba temperare, ut quantum fieri potest, simul finiant, quod in eo casu est facilius cum simul sint in eodem altari. Olim etiam solebant Presbyteri Cardinales assistentes Pontifici cum illo celebrare, ut patet ex Innocentio 3. cap. citato.

ARTICVLVS III.

Utrum dispensatio huius Sacramenti pertineat ad solum sacerdotem?

RESPONDET duabus conclusionibus.

Prior est, ad sacerdotem pertinet dispensatio corporis Christi, videlicet solum.

Posterior, diaconus potest sanguinem ministrare, non autem corpus, nisi in necessitate, iubente Episcopo, vel Presbytero, ita responsione ad 1.

DVBIUM I.

Utrum dispensatio huius Sacramenti iure diuino soli sacerdoti competeat?

NOTANDVM duobus modis id posse intelligi, vno, ut quæatur, num soli sacerdoti intra limites iuris diuini sit positum concessum, ut hoc Sacramentum ministret, siue aliunde administratio possit alijs committi, siue non? altero, ut quæatur, num sit ita concessum sacerdoti hoc Sacramentum ministrare, ut iure diuino sit alijs negatum, qui proinde nullo modo etiam ex commissione possint illud dispensare?

Dico 1. soli sacerdoti positum est concessum iure diuino hoc Sacramentum ministrare. Probatur 1. solis Apostolis dictum est Luca 22. *hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis datur potestas totam Christi actionem imitandi consecrando, sumendo, distribuendo; atqui soli sacerdotes hac in parte succedunt Apostolis, ergo. 2. soli sacerdotes configiunt corpus Christi, igitur illis solis iure diuino est concessum distribuere, quia videtur iure diuino ijs solis concessum alijs distribuere Sacramentum, quibus competit conficere.

Confr. 1. potestas Ordinis iure diuino competens in corpus Christi mysticum, supponit potestatem in corpus Christi verum, & proinde ea solis sacerdotibus competit: cum ergo potestas distribuendi hoc Sacramentum sit quædam potestas Ordinis respectu corporis mystici, supponit potestatem in corpus Christi verum, atque adeo intra limites iuris diuini solis sacerdotibus competit.

Confr. 2. solus sacerdos iure diuino ex vi Ordinis constituitur in gradu pastoralis, ergo illi soli iure diuino positum conceditur Sacramentum ministrare.

Dico 2. non est tamen iure diuino prohibitum inferioribus hoc Sacramentum ministrare. patet tum ex praxi Ecclesiae, tum ex eiusdem constitutione. & de praxi quidem patet ex Cypri. serm. de lapsis post medium, ex quo patet olim diaconum solitum calicem ministrare seu Domini sanguinem. patet etiam ex verbis S. Laurentij ad Sixtum: *experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisi Domini sanguinis dispensationem*. ex Iustino Apologia 2. pro Christianis, sub finem. ex quibus patet olim Diaconos etiam in Ecclesia Romana ministrasse sanguinem Domini: patet etiam ex apologia citata ministrasse corpus, quæ praxis non potest sine temeritate dici repugnare iuri diuino.

Idem patet ex eiusdem Ecclesiae constitutione; in Concil. Nicæno, can. 14. de Diaconis dicitur: *quod si non fuerit in presenti, vel Episcopus, vel presbyter, tunc ipsi (scilicet Diaconi) proferant, & edant*. videri etiam potest Concil. Carthaginense 4. can. 38.

Ex quibus patet 1. quod licet soli sacerdoti iure diuino sit positum concessum hoc Sacramentum ministrare, ita ut eo iure non sit concessum vlli alijs, non tamen sit eo iure prohibitum, ut hæc potestas communicetur inferiori, seu, ut sacerdotes possint hac in parte coadiutores assumere.

Patet 2. ex Ecclesiae concessione Diaconos posse hoc Sacramentum ministrare, & olim quidem, cum sumeretur etiam sub specie vini, videtur facilius illis concessa administratio sanguinis, seu calicis: interdum tamen etiam concessa est admini-

10.

Petitio 1.

Resp.

Tā non potest Diaconus propter aliqualem necessitatem præsentem facere ministrare sua sponte ministrare sine peccato.

Sacerdos sine necessitate potest licet ex sola Pastoris commissione.

Vt Diaconus possit, sufficit causa, quæ prudentis iudicio videtur iusta.

II.

Petitio 2.

stratio corporis, ut patet ex Iustino, Nicæno, & Carthaginensi citatis.

Petes 1. quibus circumstantiis Diaconus possit hoc Sacramentum ministrare?

Resp. primis temporibus videri concessum, ut satis communiter ministraret, ut patet ex Iustino, Cypr. & verbis S. Laurentij, quæ nullam necessitatis mentionem faciunt: forte quia eo tempore, cum plures essent Diaconi, non sacerdotes, censebatur esse communis moralis necessitas. Postmodum tamen est constitutum, ut non posset promiscue ministrare, sed solum iuxta existentem necessitatem, ut satis indicatur in Concil. Nicæno citato, & in Carthaginensi can. citato, ubi dicitur, *ut Diaconus præ-*

sentem presbytero Eucharistiam corporis Christi (si necessitas cogat) iussus erogat, ubi exigitur necessitas, & ut illi percipiatur. unde Diaconus non potest propter aliqualem necessitatem præsentem presbytero sua sponte sine sacerdotis iussione hoc Sacramentum ministrare, & si facit, graviter peccat. similiter etiam non potest iubente sacerdote ministrare, si nulla adsit necessitas, in quo differt à simplici sacerdote, qui nullā existente peculiari necessitate potest licet hoc Sacramentum ministrare ex sola pastoris commissione, unde si adsit sacerdos paratus infirmo hoc Sacramentum ministrare, parochus non potest illius administrationem Diacono committere, nec potest Diaconus eo casu etiam ex commissione dispensare, quia respectu illius in his circumstantiis non est necessitas. ratio discriminis est, quod sacerdos ex vi sui Ordinis sit potes iure divino illud ministrare & proinde convenienter suo gradui potest ministrare pro solo committentis arbitrio: Diaconus vero ex vi sui Ordinis eam facultatem non habeat iure divino, nec Ecclesia ei permittat, nisi respectu ipsius adsit necessitas.

Ex quo deduci potest pastorem solum Diaconum non posse viaticum suo subdito præbere præsentem sacerdote non impedito nec repugnante, sed debere tali sacerdoti administrationem committere.

Dices hanc necessitatem non videri exigi in Nicæno, vel etiam Carthaginensi, sed solum ut præsentem presbytero non distribuatur.

Resp. licet ex prædictis locis non evidenter colligatur, quod exigatur necessitas in absentia presbyteri, tamen ex sensu Ecclesiæ constare hanc exigi.

Sed quanta requiritur necessitas, ut Diaconus ex commissione presbyteri possit Eucharistiam ministrare?

Resp. sufficere causam, quæ prudenti iudicio videatur iusta, ut quod sacerdos alijs gravibus functionibus sit occupatus, v. g. studijs, concionibus, confessionibus excipiendis, infidelium conversioni: his & similibus casibus si non posset alius sacerdos facile haberi, administratio huius Sacramenti posset Diacono committi: non enim videtur mens Ecclesiæ, ut functiones Ecclesiæ, & animarum salutem tam viles recedantur, vel omittantur, quo casu adsit solus Diaconus, cui administratio Sacramenti possit committi; non videtur ergo requiri extrema necessitas, seu impotentia ex parte sacerdotis, immo nec videtur requiri extrema necessitas ex parte communicantium, sed sufficit iusta causa, ut adimpletio præcepti communionis annuæ, iubilæum promerendum &c.

Petes 2. an si pastor nec per se, nec per alium sacerdotem velit Eucharistiam ministrare periculose laboranti, possit Diaconus illam ministrare?

Resp. posse, quia ius censetur eo casu facultatem Diacono tribuere, unde posset invito pastore ministrare. videri potest Viñ. num. 89. Henriquez lib. de Eucharistia cap. 54. num. 2. Suarez disp. 72. sect. 1. §. *difficultas verò est*, & plures alij tam antiqui, quam recentiores. quod si adsit sacerdos paratus invito pastore ministrare, non potest ministrare Diaconus: Non potest etiam ministrare, si pastor iusta de causa neget ægroto Sacramentum.

Petes 3. an si sacerdos ægrotet, nec adsit alius sacerdos, qui ei ministret Eucharistiam, possit Diaconus illi ministrare, aliqui negant, sed

Resp. posse: quia est magis congruum ut Diaconus ministret, quam ut ægrotus proprijs manibus sumat.

Petes 4. utrum dispensatio huius Sacramenti possit committi inferiori Diacono?

Resp. negatiue, quia usus Ecclesiasticus contrarius obtinet vim legis prohibentis, unde quamvis olim laici interdum alijs darent Eucharistiam, vel proprijs manibus sumerent, ut patet ex dictis quæst. 80. art. 12. dub. 1. iam tamen non licet laicis sibi, vel alijs præbere. Aliqui tamen verisimiliter censent, quod in extrema necessitate defectu alterius, laicus Eucharistiam periculose laboranti præbere possit, quia nec per se malum est, nec repugnans iuri divino, & lex ecclesiastica, vel consuetudo non videtur in hoc casu rarissimo intelligenda.

DUBIVM II.

Utrum quilibet sacerdos possit cuius hoc Sacramentum ministrare?

Resp. neg. R. E. s. r. negatiue, cum enim administratio Sacramentorum sit actus pascendi, præter Ordinem requirit iurisdictionem in illum, cui ministratur Sacramentum, vel saltem commissionem, & potestatem delegatam ab eo, qui præditus est huiusmodi iurisdictione: unde soli pastores possunt suo gregi hoc Sacramentum ministrare. similiter & alij, quibus pastores hanc licentiam concedunt.

Constat ex Concilio Carthaginensi 1. cap. 7. ubi statuitur, ut nemo clericus vel laicus communice in aliena plebe sine litteris Episcopi sui, ubi innuatur sacerdotem non posse hoc Sacramentum alieno ministrare sine licentia pastoris eius, qui Sacramentum recipit: nam si quilibet sacerdos id posset absque peccato, frustra requireretur litteræ proprii Episcopi eius, qui vult Sacramentum recipere. videri etiam potest Concil. Milevit. num. cap. 18.

Aduerte 1. per proprium pastorem non solum intelligi eum qui communiter vocatur parochus, sed quemlibet alium habentem ordinariam iurisdictionem in personam, qualis est Episcopus respectu totius diocesis, & omnium sibi subditorum, summus Pontifex respectu totius Ecclesiæ: unde qui habet potestatem à Pontifice ministrandi hoc Sacramentum sine restrictione ad certum locum, vel personas, potest illud ubivis, & quibusvis fidelibus ministrare, similiter qui habet consimilem facultatem ab Episcopo, potest cuius subdito eiusdem Episcopi Eucharistiam præbere.

Aduerte 2. vniuersaliter loquendo, non requiri approbationem Ordinarij, ut alicui sacerdoti detur

licentia

licentia hoc Sacramentum ministrandi, cum id nullo iure habeatur: nam Trident. sess. 23. cap. 15. de reformatione, solum requirit approbationem, ut quis possit confessiones secularium audire, quibusdam tamen in locis usus obtinet, ut sacerdotes non pastores approbentur ab Ordinario, ut possint Sacramenta ministrare, qui servandus est ijs locis, quibus viget.

Aduerte 3. non semper requiri expressam licentiam, ut sacerdos non pastor hoc Sacramentum ministret, sed sufficere tacitam, qualem videtur concedere pastor ijs sacerdotibus, qui in eius Ecclesia communiter celebrant: cum enim parochiani promiscue communicant in quouis sacro, quod in templo parochiali celebratur, non repugnantibus parochis, signum est eos tacite consentire, ut sacerdotes celebrantes in sua Ecclesia suis parochianis Eucharistiam praebeant. eandem videtur concedere peregrinantibus ad pia loca, cum ipso usu constet illis indifferenter praeberi communionem a pastore loci vel alijs ibidem celebrantibus, eadem venia videtur tacite concedi, quando in aliquo loco sunt indulgentiae ad quas promerendas requiritur communicatio, idque usu comprobante tacentibus parochis nam constat, quod licet in aliqua ciuitate sint privilegiati, apud quos licet communicare, similiter quamuis aliquis posset facile communicare in propria parochia, nihilominus plerique communicant in loco ubi debent indulgentiae obtineri non contradicentibus parochis, & proinde tacite concedentibus suis hanc facultatem. Denique in mortis periculo, si non adit pastor nec alius habens potestatem, censetur concessa facultas à iure praebeendi viaticum, etiam si sacerdos alijs non possit hoc Sacramentum ordinare ministrare, quia Ecclesia non censetur velle priuare hominem viatico & Sacramento ad salutem ita vtili, & interdum necessario, propter absentiam alicuius habentis facultatem, immo eo casu in defectum sacerdotis potest Diaconus ministrare ex tacita iuris concessione.

Petes 1. vtrum, ut sacerdos non pastor possit alicui hoc Sacramentum ministrare, requiratur praesens concessio expressa, vel tacita, an vero sufficiat spes futura satisfactionis?

Resp. hanc spem sufficere, nam cum Eucharistiae distributio non sit intrinsecus actus iurisdictionis, non requirit praesentem voluntatem pastoris, sed sufficit rationabiliter praesumpta futura, quae iudicio prudentis varijs casibus praesumi potest ex necessitudine, familiaritate &c.

Petes 2. an habens privilegium audiendi confessiones, habeat eo ipso privilegium hoc Sacramentum ministrandi?

Resp. cum varijs, verius esse non habere, cum sint officia plane disparata, & frequenter possit subesse ratio dandi privilegium quoad confessiones, reueruato iure pastoris quoad administrationem huius Sacramenti.

Consequenter dicendum eum, qui habet privilegium eligendi confessorium, non habere eo ipso privilegium eligendi ministrum huius Sacramenti.

Paulus 3. concessit religiosi Societatis Iesu privilegium Eucharistiam ministrandi, de quo vide supra quaest. 80. art. 11. dub. 2. ubi ostendimus ex bulla per hoc privilegium non dari facultatem ita ministrandi Eucharistiam, ut per illam summptionem satisfiat praeepto annuae communionis, vel communionis per modum viatici: immo

quamuis haec exceptio non fieret, usu ecclesiastico Paschalis communio, & per modum viatici reseruantur Pastori.

Qui ministrat hoc Sacramentum sine potestate ordinaria, vel delegata modo supra explicato, peccat mortaliter ex suo genere, quia usurpat alienum officium in re magni momenti: in genere tamen loquendo nullam poenam ipso facto incurrit. Dico, in genere, quia per Clementinam 1. de privilegijs, §. 1. religiosi, qui praesumpserint Eucharistiam ministrare clericis, vel laicis absque pastoris licentia, ipso facto incurrunt excommunicationem Papae reseruatam, circa quem can.

Notandum 1. eum non habere locum in religioso ministrante Eucharistiam alteri religioso, quantumvis in eo peccaret, quia per clericos passim intelliguntur clerici saculares parochis subiecti.

Notandum 2. religiosum bona fide procedentem, & ex praesumpto consensu pastoris praebentem hoc Sacramentum laico &c. non incidere in canonem, quantumvis forte pastor non consentiat, quia canon requirit praesumptionem, quae eo casu non interuenit. Immo ne quidem incidere, si procedat ex ignorantia crassa, quia talis ignorantia non sufficit ad praesumptionem, ad quam requiritur notitia, vel saltem ignorantia affectata ipsius legis, per quam fertur censura.

Notandum 3. neque incurrere censuram eum, qui in necessitate ministrat infirmo Sacramentum, quia videlicet abest pastor, vel alius ab eo delegatus, vel quamuis adit, iniuste negat viaticum; quia eo casu minister non peccat, nec potest dici praesumere, cum facultatem tacitam ab Ecclesia habeat.

Dubium est, num incurratur censura solum ratione administrationis Eucharistiae per modum viatici: ita sentiunt aliqui, sed omnino verius est quod censetur alij, scilicet religiosum alijs non habentem potestatem hanc excommunicationem incurrere; si etiam extra casum necessitatis ministrat hoc Sacramentum seculari sine licentia pastoris, quia verba canonis sunt generalia, & motuum legis etiam eo casu potest locum habere, ut videlicet religiosi non inuadant officium pastoris contra eius voluntatem.

Dubium etiam esse potest, num concessio pastoris ita debeat esse specialis, ut persona ministrans, item cui ministratur, debeat designari: id enim videtur canon exigere.

Resp. non requiri, sed sufficere facultatem datam in genere, quia ex scopo legis aliud non est necessarium, & qui hoc modo habet facultatem, non potest dici praesumere: quod ergo in canone dicitur, licentia speciali, solum opponitur praesumptioni.

ARTICVLVS IV.

Vtrum sacerdos consecrans teneatur sumere hoc Sacramentum?

AFFIRMAT, quia consecrans hoc Sacramentum sacrificat, sacrificans autem debet fieri participes sacrificij edendo de illo, de qua doctrina commodius in materia de sacrificio, ubi & de eo, quod docet D. Th. in fine corporis, & ideo necesse est, quod sacerdos, quotiescumque consecrat, sumat integrè hoc Sacramentum, quibus verbis docet eum debere necessario sumere utramque speciem.

Per clericos passim intelliguntur clerici saculares parochis subiecti.

Ignorantia crassa non sufficit ad praesumptionem.

Dubium inciens. Etiam extra casum viatici incurritur hae censura.

Dubium.

Resoluitur. Licentia specialis in canone opponitur praesumptioni.

Resp. affir.

ARTICVLVS V.

Vtrum malus sacerdos Eucharistiam consecrare possit?

Resp. affir. **I**NTELLIGIT, validè. Responsio autem est affirmatiua, de qua supra quæst. 64. in dubijs circa art. 5. dictum est.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Missa mali sacerdotis minus valeat quam Missa sacerdotis boni?

20. **P**RÆMITTIT duo in Missâ consideranda, ipsum scilicet Sacramentum, quod conficitur, & orationes, quæ sunt pro viuis, & defunctis, quæ orationes rursum possunt dupliciter considerari, scilicet, & in quantum procedunt ex deuotione particulari sacerdotis, & in quantum ab eodem proferuntur in personâ totius Ecclesiæ. his positis, Respondet tribus conclusionibus.

Resp. Prima, quantum ad ipsum Sacramentum, Missa mali sacerdotis non minus valet, quam boni, quia etiam malus sacerdos potest Eucharistiam consecrare. adde etiam quantum ad fructum prouenientem ex opere operato non minus valere Missam mali sacerdotis, quam boni.

Secunda, si spectentur orationes, quæ in Missâ dicuntur in quantum habent efficaciam ex deuotione sacerdotis, non tantum valet Missa mali sacerdotis, quam boni.

Tertia, si verò eadem orationes spectentur, prout proferuntur à sacerdote in personâ Ecclesiæ, æquè utilis est Missa mali sacerdotis, atq; boni; quarum conclusionum doctrina in materiâ de sacrificio examinabitur.

ARTICVLVS VII.

Vtrum hæretici, schismatici, & excommunicati possint consecrare?

Resp. affir. **A**FFIRMAT, eo quod in illis character sacerdotalis remaneat, qui, vt supra quæst. 63. est indebilis. de hæreticis etiam idem ostensum est supra, quæst. 64. art. 5. dub. 2. vbi ostendimus ad valorem Sacramenti non requiri fidem in ministro.

Aduerte ex responsione ad 3. quod orationes, quæ sunt in Missâ nomine Ecclesiæ non habeant efficaciam factæ ab hæretico, schismatico, excommunicato; cum enim hi sint ab Ecclesia præcisi, non deputantur ab eâ, vt preces illius nomine fundant.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum sacerdos degradatus possit hoc Sacramentum conficere?

Resp. affir. **A**FFIRMAT, cuius est eadem ratio, quæ superioris articuli.

ARTICVLVS IX.

Vtrum liceat ab excommunicatis, vel hæreticis, seu peccatoribus communionem recipere, vel eorum Missas audire?

Resp. **P**RIMA conclusio, non licet communionem recipere ab ijs, qui per sententiam Ecclesiæ sunt præcisi, nec licet eorum Missas audire.

Secunda, licet communionem recipere à peccatoribus non præcisis per sententiam Ecclesiæ, licetque eorum Missas audire: de doctrinâ huius articuli videre licet quæst. 64. art. 6. dub. 2. vbi ostendimus, quibus casibus liceat Sacramenta à ministris malis recipere.

ARTICVLVS X.

An liceat sacerdoti omnino à consecratione Eucharistia abstinere?

Resp. neg. **N**ECAT, quod etiam intelligit de sacerdote nullam animarum curam habente, de quo exactius in materiâ de sacrificio.

QUÆSTIO LXXXIII.

De ritu huius Sacramenti?

EUCHARISTIA non tantum habet rationem Sacramenti communem cum alijs, sed etiam peculiarem habet rationem hostiæ quæ immolatur in Ecclesia, & per quam excellentissimus cultus Deo exhibetur. de priori ratione egit S. Th. præcedentibus quæstionibus, in quibus explicuit naturam Sacramenti Eucharistia, materiam ex qua, formam, per quam conficitur, item proprietates, & conditiones, quæ tum ratione specierum, tum ratione corporis, & sanguinis existentis in hoc Sacramento competunt. 3. effectus. denique aliqua necessaria ad dignam huius Sacramenti perceptionem. de posteriori ratione agit breuissimè in presenti quæstione, de qua cum Doctoribus præsertim modernis propter nostri temporis hæreticos paulò fusiùs est agendum.

ARTICVLVS I.

Vtrum in hoc Sacramento Christus immoletur?

Resp. affir. **A**FFIRMAT, quod est de fide, vt in sequentibus fusiùs ostendetur. Probat duabus rationibus; prior est, consecratio seu celebratio huius Sacramenti est representatio sacrificij crucis, igitur Christus in eâ celebratione dici potest immolari, saltem representatiuè, cum signa soleant accipere nomina rerum signatarum. posterior est, quod per consecrationem huius Sacramenti nobis applicetur fructus passionis Christi, scilicet ex opere operato, ergo huiusmodi consecratio est immolatio, & sacrificium, cum fructus passionis ex opere operato solum applicetur per susceptionem Sacramentorum, & per sacrificium; consecratio autem